



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Theologiæ Moralis

Moure, Antonio Fernandes de

Coloniæ Agrippinæ

Modvs Concionandi & studendi Theologiæ, à quodam magni nominis
Theologo, & concionibus scriptisque celebre, studiosis antè aliquot annos
propositus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40934

Vt quem patitur dolorem & morbi molestiam propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum toleret.
 Vt si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis carere, & eius mandata seruare.

IESV, esto mihi IESVS.

MODVS CONCIONAN-
 di & studendi Theologiæ, à quodam magni nominis Theologo, & concionibus scriptisque celebre, studiosis antè aliquot annos propositus.

TA M E T S I ad artem concionandi & docendi populum pertineat, vt futurus Concionator in arte Rhetorica diligenter exerceatur; vt docte & diuine dicat: puto tamen exiguum hoc esse in hoc artis genere, quæ etiam multi putant, hanc artem diuino instructu magis doceri, quam humano auxilio. Proindeque videtur locum habere hic, quod dicitur in definitione Rhetoris, quæ Rhetor dicitur esse vir bonus, dicendi peritus.
 Duo ergo requiruntur in Concionatore. *Primo*, vt discat, quo pacto se habere debeat erga se; hoc est, quo pacto se gerere debeat in seipso. *Secundo*, quo pacto ad populum. Concionator enim est instrumentum, quo Deus vult ad lucrum animarum. Instrumentum autem duabus constat partibus. *Vna* pars est, quæ attingit artificem. *Altera* quæ rem ipsam, sicut etiam in instrumentis Mechanicis, verbi gratia, in securi est capulus, attingens artificem, & est acies, attingens & secans lignum. Sic in instrumentis Musicis est concavitas intus, & nervi externus, instrumentum ipsum, & manus artificis. Instrumentum non per se operatur, sed requiritur manus artificis.

Iuxta has duas partes, duo requiruntur in Concionatore

cionatore. *Primò*, vt bene cõiunctus sit cum Deo. *Secundò* vt bene coniungatur cum proximis. Et hoc vsu venire solet Concionatori, quod vsu venire solet artifice, quantumvis bene peritus sit artifex, oportet Instrumentum bene esse aptatum ad manum artificis. Nam vt bene possit tenere, & regere manu instrumentum suum, recteque operari, oportet vt capulus bene aptatus manui congruat. Deinde vt acies bene possit secare ligna, vt vtrumque possit quis aptare pro sua voluntate; vt si quis scribat calamo malo, norit tamen manu calamum sic moderari, vt bene pingat.

Primò ergò necesse est, vt concionator bene coniungatur cum Deo, & bene se cum Deo componat, sic enim Deus facile aptabit instrumentum suum. Sed quo pacto hoc fiet? Ante omnia requiritur in bono concionatore, præcipue, vt diligenter expurget à peccatis conscientiam, & vt timorâtè viuat, seque in statu gratiæ custodiat, sed neque hoc sufficit; nam secundo requiritur vt sit frequens in oratione, & meditatione cum Deo, vt intellectum & voluntatem semper coniunctam habeat cum Deo.

Officiu enim concionatoris est docere populum, sed duobus modis docetur populus. *Primò*, vt intelligat. *Secundò*, vt moueatur & afficiatur. Nec sufficit, vt sic doceatur populus, sicut in Schola discipuli, qui sic docentur vt optime intelligant, quæ à præceptore dicuntur; sed requiritur in concionatore, vt non solum intellectum instruat, sed vt etiam affectum accendat. Imo diuersum fit à concionatore, quam in præceptore: Nam præceptor hoc efficit, vt ametur à pueris, vt hoc modo facilius instillet doctrinam. Concionator non tantum vt discat populus, idè concionamur: sed vt incipiat affici erga ea, quæ dicit. Nostra scientia & intellectus dirigitur ad voluntatem auditorum, vt intellectus assentiat, & voluntas adhæreat dictis & auditis, vt autè hoc commodè faciat concionator, necesse est vt frequenter versetur cum Deo, assiduus sit in oratione & meditatione, hoc modo facit, vt seipsum exciter frequenti contemplatione & meditatione, vt cum fructu doceat populum, & cum zelo & spiritus seruore.

*** 3

Sunt

Sunt qui existimant se tunc oprime disturos, cum bene studuerint, vt tunc palam effundant ea in populum, quæ ipsi priuatim mente conceperunt. Sed non satis est, inquit Bernardus, vt concionator sit canalis, sed requiritur, vt sit concha; necesse est vt primò multa bona attrahat ad se, deinde ea effundat in populum. Ita concionatores pij olim facere solebant, qui per pias meditationes accendebant amorem Dei in se, quem sequitur fastidium rerum temporalium. Talis Concionator fuit B. Paulus Apost. D. Ioannes Chrysof. B. Vincentius & alij multi. Talis est qui hodie adhuc superest Ludovicus de Granada, Ordinis Prædicatorij, vt patet ex eius scriptis spiritu & pietate plenis. B. Bernhardus hoc modo nõ tam studijs quam meditationibus profecit. Talis fuit B. Gregorius, vt patet ex scriptis & concionibus, & alijs pluribus.

Sed præter hæc, opus est, vt Concionator fugiat magnam familiaritatem habere cum populo; sit tamen eius sermo priuatus, semper amabilis. Sic B. Chryso. ne quidem vocatus voluit venire ad prandia. Optimum est seruire suum secretum, neque per familiaritatem se nimis effundere, vt semper plus recondat in pectore, quam gerat in ore. Quia nimia familiaritas & affabilitas parit contemptum. Facile notant homines leuem defectum in concionatore, qui nimis familiaris est populo, vnde & contemptibilis.

Curandum ergò est Concionatori, vt rarissimè ad conuiuia accedat, idque propter duas causas. *Prima*, vt quod in alijs viua voce reprehendit, ipse suo exemplo damnet. *Secunda*, vt minus sit, vnde ipse reprehendi possit. Nunquam etiam in priuato colloquio se prorsus effundat, sed semper aliquid retineat, vt diximus, vt videatur semper aliquid habere residuæ scientiæ, & reconditæ sapientiæ. Nõ tamen ad fastum, sed ad ædificationem recte facit, qui plura abscondit, quàm profundit. Adde, quod qui facile admiratur, ostendit se ignorare, quæ admiratur. Per risum & cachinnum homo perdit authoritatem. Proinde quod ad mores attinet, sit grauis moribus, ita tamen vt cum grauitate non sit coniuncta superbia, neque superbiæ aliqua significatio, sed in humilitate composita grauitas. Sic Pau.

Paulus Apostolus. Ego vt parvulus in medio vestrum, &c.

Hæc dicta sunt pro priore parte, quomodo Concionator se habere debeat in seipso, & proximis. Frequens ergo sit in oratione, meditatione, frequens & ardens in sacrificio, hoc sit primum & præcipuum fundamentum concionatori. Multi forte parum hæc prodesse putant, cum tamen hæc magis profint, quam studia, licet illa his etiam coniungi debeant. Sed meditatio non prodest, si anima non sit purgat à vitiorum sordibus. Spiritus enim sapientiæ non habitat in corde subdito peccatis. Et non solum caueat sibi à peccatis, sed fugiat etiam nouitates & nugas, quæ nihil profunt, sed magis distrahunt mentem à deuotione. Qui in Hypocaustum & cubiculum ingreditur, non facile egreditur, ne ventus aut frigus irreat, cum egreditur diligenter claudit ostium, ne calor dissipetur. Ita concionator cubile cordis cui diligenter obseruet, ne calor charitatis effluas, ne quis ventus vanitatis subintraret. Qui hæc non æstimat, bonus aut felix Concionator nunquam erit.

Sequitur vt de Inuentione, Dispositione & Elocutione aliquid dicamus.

Nihil absurdius, quam concionator indoctus; multum studij oportet cum literis impendere, vt ipse prius rem ipsam plenè & fundamentaliter intelligat, quàm populo proponat: nam si dicendum sit de Iustificatione, de Eucharistia, & similibus arduis materijs, quomodo poterit bene dicere, si ipse rem non satis intelligat.

Studium ergo futuri concionatoris versari debet circa scripturam & scholasticam Theologiam. Optimum est legere in scholastica Theologia B. Thomam Aquinatem, & illi studio impendere certas horas in die. Consultum erit vnum articulum meditare legere in corpore, quo bene intellecto, argumenta in contrarium cum responsionibus ex ordine attente legere & ruminare, nec ad sequentem procedere, nisi cum hunc probe incorporaueritis. Impossibile est vt sine hac scholastica Theologia vtiliter versemini in studio S. Scripturæ, aut in concionibus, & fidei controuersijs.

Quia ergo duæ partes sunt studij Theologici, nempe Sacra scriptura, & scholastica Theologia. *Primo*, Matu-

tinum

**** 4

rinum tempus impendetis Lectione Sacra scripturae.

Modus procedendi sit iste, ut quotide mane unum legatis caput ex nouo testamento & diligenter aduertatis, an aliqua sint, quae non intelligatis, cuius interpretationem requiretis, ex comment. vel viuis Doctoribus. Vespere ex veteri testamento unum aut duo capita leges. *Secundo*, ut pomeridiano tempore, ut diximus, ex S. Thoma unum articulum absoluas. *Tertio*, ut quotidie ex prouerbis Salomonis unam sententiam memoriae commendes. Sunt enim ibi pulcherrimae sententiae, quae multum vobis proderunt ad docendum. Deinde vtile esset, ut ante dixi, quotidie vos exercere in meditatione aliqua sacra. Tradidi vobis meditationes de vita Christi, ubi ordine Harmonia Euangelica comprehensa est, in qua secuti sumus Iansenium, qui doctissime scripsit.

Hic sit modus progrediendi in studijs pro studiosis, qui sic studeant, ut semper gustum ex studijs eliciant. Iurisprudentia, Medicina, & aliae facultates fere solum instruant intellectu, sed Theologia non tantum intellectu consistit, verum etiam in gustu & affectu. Cum quolibet libro sacro habeatis & legatis unum, probatum, breuem, & dilucidum commentatorem, vitetis varietatem & copiam, quia haec pariunt confusionem, & non solidam eruditionem. Quotidie a prandio semper B. Thomae summa legatur, ut supra. Post duos aut tres annos, peractis his, de quibus dixi studijs, ad Patres poteritis transire. Et ante omnes commendo vobis B. Chrysostr. quia maxime popularis est, & futurum concionatorem recte instruit. Singulari quoque diligentia videtur legendus B. Gregorius, propter singularem ingenij profunditatem, in meditando, in quo ipse praecipue excellit in lib. 15. Moralium, in quibus mirabilem suauitatem deuotionis inuenietis. B. Gregorio perlecto, Chrysostrum legite, deinde reliquos cum delectu, erunt ista successu temporis studioso, qui literis afficitur, facilia.

Diximus de Concionatore. *Primo*, de ipsius moribus, quomodo cum Deo & cum proximis se habere debeat, tum de preparatione materiae, & eius occasione diximus etiam de studio Theologiae. Dicendum nunc restat de In-

uen-

uentione. *Secundo*, de Dispositione. *Tertio*, de Elocutione.

Et quod ad primum attinet de Inuentione, necesse est, vt Cōcionator totius Theologię scientia non leuiter tinctus sit. Nam si in Oratore omnium rerum cognitio requiritur, multo magis in concionatore, qui verbi Dei Minister est, requiritur rerum Theologicarum exacta cognitio. Diximus de preparatione in genere, nunc de ea in specie dicemus. Instruimus studiosum Theologum quoniam ille progredi debeat in studijs suis, sed quia studium non erit perpetuum, dicendum est quid post cursum studiorum concionatori faciendum est. Scitis auditores quorsum studia vestra dirigere debeatis, nempe ad gloriam Dei & proximorum vtilitatem, non vt vobis tantum studeatis, sed vt proximos adiuuetis. Cogitare debetis vos esse Instrumenta Dei ad lucrificandas animas aprata & ordinata. Ante omnia in concionibus vestris initio forti animo esse debetis, non timidi, non meticulosi, non vitiosa verecūdia præditi. Euangelium enim quod annunciabitis virtus Dei est, in salutē omni credēti. Non erubescō, inquit Apost. Euangeliū sci. annūciare inter tot doctos Philosophos & oratores qui Romę sunt. Ac proinde quia functio Legationis Cōcionatoris tā insignis est, non cuius temere hoc munus committendum est, est enim Apostolicum, quod ad Episcopos pertinet. Sed quid concionatori in preparatione faciendum est. Quid? confidam ingenio meo, & profundam ego in populum quod in buccam venerit? Nullo pacto hoc consultum est agere. Est quidem verum quod Christus Apostolis suis dixit. Cum steteritis ante reges & præfides, nolite cogitare quid dicturi sitis, Spiritus enim sanctus suggeret vobis in illa hora, quæ loquamini, vt in hac parte nihil tribuerent sibi, sed solum gratiæ ascriberēt. Cæterum ordinariē in hoc munere requiritur ante omnia in concionatore diligens studium, vt diligenter intendat Materiæ de qua dicturus est. Nam & Apostolus Paulus licet à Spiritu sancto edoctus esset, legitur studuisse, cum ad Timoth. scribens, libros & membranas sibi mitti cupiat. Ergo Concionator studere debet, & ante omnia cogitare, apud quos dicturus sit, vt pro ratione Auditorum temperet sermonem,

lares dicendum est. Alia apud Hispanos, alia apud Italos, alia apud Germanos dicenda sunt, & quæ conueniunt vni nationi, non conueniunt omnibus, & quæ apud Germanos dicuntur, non expediret apud Hispanos vel Italos dici: Rursum, non eadem natura hominum, non iidem mores sunt omnium. Debet ergo se attemperare Concionator, ad ingenia & mores hominum, & cogitare quæ illis conueniant. Tum exemplo B. Pauli, Chrysofost. & insignium Concionatorum. *Primò*, quidam quædam didactica proponat, quæ ad cognitionem & instructionem fidei pertinent. *Secundò*, Ethica proponenda sunt, quæ ad mores formandos faciunt, vt instruat intellectus, & moueatur affectus. Hæc enim duo facere debet Concionator. *Primò*, docere populum. *Secundò* mouere; ad doctrinam pertinet explicatio Mysteriorum fidei nostræ: Ad effectus mouendos, proponenda sunt, quæ ad mores pertinent. Exempli gratia.

Primò loco aliquid erit dicendum quod facit ad fidei instructionem, vel ex controuersijs, vel ex Symbolo, vel de Sacramentis, secundum materiam Euangelij quod tractabitur.

Secundò, Ex Euangelio doctrinam eliciet, quam applicabit ad mores populi, vt simul moueat affectum postquam intellectum instruxit. Sic Beatus Paulus in Epistola ad Romanos, initio à 1. capite vsque ad duodecimum caput agit de fide.

In posterioribus de moribus. Igitur Concionator initio prospiciat cum quibus acturus sit. *Secundò*, doceat & afficiat, hoc est instruat intellectum & affectum. *Tertio*, habeat in materia tractanda non multa, sed selecta, valde bona, & solida; Nam populus non vult folia verborum, sed rem ipsam, quam ornare debet coloribus & similitudinibus & exemplis illustribus. Sic tamen, vt auditores rem ipsam intelligant, & non inuoluantur multitudine verborum, quia dum nimis multa dicuntur, auditores nihil referunt domum.

Deinde obseruandum est, vt in Dispositione seruetur bona Methodus: nam Methodus bona est, quæ hominem valdè delectat & docilem reddit. Et initio con-

constitueris vobis aliquot puncta tractanda. Et in punctis istis facietis aptam diuisionem, vt ad hæc referatis omnia quæ dicturi estis. Tertium est, in Dispositione, vt adferamus & condiamus nostra scripturis, non quidem multis, sed paucis & optimis. Sunt enim qui multas scripturas adferunt, quas neque ipsi, neque populus aliquando intelligat. Sicut si volo ostendere, quod opus sit, vt conuersio hominum sit dura, & vt homines cogantur vt se conuertant. Proferam ex Esaia autoritatem hanc Sacræ scripturæ: Vexatio dat intellectum auditus. Vexatio facit, vt quod antea non intelligebatur, iam intelligatur. Explicemus hoc exemplo adolescentis admoniti à suo præceptore vt diligenter studeat, & ne tempus suum inutiliter perdat, reddendam enim esse aliquando rationem temporis neglecti, qui non inuenit hunc textum in se, & non intelligit, quia ma- uult ludere quam studere. Quid agit Dominus? im mittit illi morbum, & facit vt ista intelligat, quæ alias non intellexerat, & videbantur illi dura. Accedens itaque morbi afflictio facit, vt melius intelligat præceptoris admonitionem. Talibus similitudinibus illustratur misericè scriptura Sacra. Et non opus est multitudine scripturarum inuoluere auditores, vt hodie Concionatores faciunt, sed sit vna (vt dictum est) bene explicata. Et quia multæ scripturæ sunt, quæ deseruiunt ad vnum locum communem, vel similem propositionem, nunc hunc, nunc illum adferetis & explicabitis, vt dictum.

Porro ad res obscuras similitudinibus illustrandas, iuuat versatum esse in Patribus maximè Græcis. Beatus Basilius infinitas habet similitudines, & similiter Beatus Chrysostomus. Ad similitudines faciunt figuræ veteris testamenti. Sic Beatus Gregorius sæpè vtitur illis figuris, quæ maximè res illustrent.

Hæc de Dispositione, vt ista bene fiant, putarem expedire, vt qui vult dicere totam concionem suam, demonem. Aliter enim apud Religiosos, aliter apud Se-
lares

scribat in quātum fieri potest bono ordine. Nam duplex commoditas inde sequetur. *Primò*, quod multa occurrunt scribenti, & longe plura quam cogitanti. *Secundò*, Quod homo hac ratione memoriā localem habeat proponēdi populo quæ concepit. Dicam ego quomodo meam memoriā iuue, dum concionem meam describo. Pono *Primò* certa capita. *Secundò*, distinguo eadem capita. *Tertiò*, ad ea capita refero quæ dicere statui. Hæc mihi memoriā constituunt, & si occurrant quædam addenda, ea in margine adijcio. Ponunt alij memoriā localem in diuersis angulis domus, alij aliter. Hæc mihi videntur optima ratio adiuuandi memoriā. Quando autem hoc modo descriperis concionem tuam, per 2. vel 3. dies mane & vesperi videbis & leges tua puncta, quæ hac ratione memoriæ commendabis. Qui diu concionatus est, & non constituit sibi ista puncta, & confidit sibi, aliquando sine distinctione multa confuse dicit,

Nunc de elocutione dicemus. Ego animaduerti magnum vitium esse in Italia, Hispania & Germania superioribus, quod non est in Belgio, nimirum in delectu verborum, vt verba quæ profertur sint ornatissima. Ego puto quod ista vehemēter obsunt. *Primò*, quod hac ratione Concionator magis sollicitus sit de verbis, quam de re ipsa. *Secundò*, facit vt Auditores magis sunt attentii ad verba, quam ad rem.

Atque ita vsu venire solet, vt auditores rogati de concione, respondeant: Reuera bene dixit, sed quid dixit, nescio. eleganter dixit, sed quæ, ignoro. Pulchra verba habuit, sed de quibus, non intellexi. Intelligite. Dominus Deus dedit Apostolis donum linguarum, sed non eloquentiam, neque fuit in Apostolis Eloquentia secundum artem Rhetorices, sed secundum Rhetoricam Spiritus sancti mouebat hominum mentes. Neque B. Paulo cura fuit vt eleganter loqueretur, ac propterea vocabatur *σπικμολογος*. Ac proinde non fuit in Apostolis Ciceronis aut Demosthenis eloquentia. *Primò*, ne populus à re ad verba vocaretur. *Secundò*, Ne conuersio totius mundi attribueretur potius eloquentiæ verborum, quam Spiritui sancto. Habet Spiritus sanctus etiam suam eloquentiam, qua nouit corda hominum mouere, & hæc fuit

fuit in Apostolis. Mihi videtur hic magis condito & graui sermone opus esse, quam magna eloquentia. Nolo tamen hic balbos & elingues habere: Sed hoc faciant concionatores; Quærant non tam eloquentiam prophanam Ciceronis, quam diuinam Spiritus sancti. Ferunt B. Franciscum aliquando requisitum fuisse, vt coram Põnifice & collegio Cardinalium diceret, latino sermone, cum autem ille latinæ linguæ esset rudis, composuit orationem pro sua scientia, quam mandauit memoriæ. Cum autem eo ventum esset, vt diceret, non potuit eorum quæ collegerat vnum verbum proferre, qui implorata gratia Spiritus Sancti dixit. Sanctissime Pater, & vos illustres Cardinales, placuit altissimo vobis manifestare meam superbiam, necesse est vt vobis confitear meam culpam. Dicturus in hoc amplissimo confessu, composueram mihi breuem orationem, quam memoriæ mandaueram, cum verò huc ventum sit, non possum vnum verbum proferre ex his quæ conceperam, accipite proinde ea quæ Spiritus sancti gratia suggeret. Et sic dixit B. Franciscus ex Spiritus sancti Rhetorica, ita vt admirationi & stupori fieret omnibus. Et quam quæso eloquentiam habet Sacra scriptura? Sunt ibi tot Hyperbata & contra artis ordinem posita, quod ideo factum est, quia Spiritus sanctus per talem scripturam voluit nobis suam eloquentiam dare, vt scriptura hoc modo moueret affectum. Ac proinde non est Iota vnum, aut apex in scriptura Sacra, aut verbum vnum quod est superfluû, & quod non habet suam efficaciam. Et quare ista barbara translatio qua vtimur, accepta est ab Ecclesia? Nimirum, quia Spiritus sanctus qui adfuit Petro & Paulo & Euangelistis qui eam scripserunt, etiam nostrû interpretem direxit. Eloquentiam ergo quæramus Spiritus sancti, quæ corda mouet, & non humanam illam & vanam. Ceterum post dispositionem concionis, opus est vt Concionator seipsum accendat, priusquã dicat, vt alios igne charitatis accendere possit. Quod fiet hac ratione. Postquã se Concionator ad dicendum preparauit, priusquam Cathedram ascendat, conferat se ad aliquem locum seorsum, vbi se offerat, & suum concionandi munus Deo, eum rogans, vt ipse infusione sancti Spiritus cor suum

& aia

& auditorum præparare velit, quatenus aptum instrumentum esse mereatur, per quod diuina gratia auditoribus infunderetur. Postquam hoc modo recollectus fuerit, magno spiritu accedat suggestum.

Hic de Pronunciatione & gestibus aliquid dicemus. Et primò qui vitandi sunt, quique fere tales sunt quales in Rhetorica describuntur, & in his qui de Rhetorice artificio scripserunt; ex quibus facile cognosceas qualis debeat esse compositio in gestibus, & pronunciatione. Et quidem primò absit vitiosa verecundia & pudor inuicibilis, quæ facit ut homo minus suum officium faciat. Sit audacia cum modestia secundum Deum, cogitet se esse vicarium Christi. Dominum per os eius loqui & linguam eius mouere, qui eius gloriam purè quærat in proximorum salutem.

Secundò, adsit præterea grauitas dictionis, nec furtiliter agat in re tam seria. Sit sermo grauitate compositus, non ut in priuato colloquio esse solet, hic enim puerilis & nullus fructus esset. Sit autem sermo ita compositus, ut homo intelligat se publicè agere & loqui, tanquam superiorem. Præterea non semper eodem tono utatur, atque si ad mensam legeret: sed pro rei & materiei varietate mutanda est vox.

Si materia exigat exclamationem, exclamandum erit. Si affectus indignantis, si laudantis, admirantis, exprimendus. Ita confirmanda est pronuntiatio, ut semper varietur vox & gestus pro varietate rerum. Rursus non sit nimis clamosa, maximè in principio. Tunc maxime clametur, quando aliquid indignum profertur. Ut quando loquimur de Gehenna, ponderanda sunt verba cum quodam tremore. Ita maledicri in ignem æternum, ut vox ipsa & res incutiat timorem auditoribus. Rursus auctoritates scripturæ cum grauitate sunt proferende, non cum clamore, exempli gratia. Audite quid Apostolus ad Romanos nobis dicit. Omnis creatura ingemiscit & parturit expectans redemptionem corporis sui. Singula verba cum grauitate & pondere sunt proferenda, ubi distinctio ne aut diuisione opus est, ibi ea semper adhibenda est, secundum materię subiectę rationem. Ut, non sunt condignę passionis huius temporis ad futuram gloriam,

quæ

quæ reuelabitur in nobis. Atque ita vox mutanda est pro varietate rerum.

Gestus autem varij præscribuntur. Nos affingemus quædam breuiter. Sunt qui ad vnum locum oculos dirigunt. Alij claudunt oculos, alij stant immobiles eodem semper corporis habitu, quæ non conueniunt concionatori, qui se ad omnes conuertat, quemadmodum omnibus loquitur. Sed cū grauitate moueat corpus, nunc ad hos, nunc ad illos se conuertans.

Præterea minus gratiosum est, iisdem semper vti gestibus, vt pueri nostri faciunt, neque gesticulationibus omnibus vti debet, vt solent mimi, neque omnino sine gestibus esse oportet, sed pro ratione affectuum mutandi sunt gestus. Opus est aliquando cum vultus grauitate manum aliquando in altum tollere, aliquando dimittere. Nunc tota manu, nunc vno digito aliquid demonstrare, sed rarius sinistram soluere, aliquando ambas manus in altum tollere, nunc hoc, nunc illo modo. Ita tamen, vt gestus accommodentur rebus de quibus dicimus. Vt si de cælo loquamur, oculis & manibus in cælum sumus intenti. Si de inferno, inferiora demonstramus. Ducat aliquando manum sursum, si de gaudio rerum cælestium aliquid dicatur. In enumeratione partium, dextera manu digitos sinistra tangat, ita tamen, vt omnia cum grauitate fiant. Si ista benè seruetis, eritis boni Concionatores. Rogate Dominum, vt ista per gratiam suam in vobis perficiat.

Lectio, Meditatio, & Oratio.

Tria hæc Concionatori necessaria, siquidem ex Lectione materia, ex Meditatione forma & ordo dicendi, ex Oratione efficacia seu virtus prædicationis habetur.

F I N I S.

10-1112121212
10-1112121212
10-1112121212
10-1112121212

Faint, illegible text on the right page, possibly bleed-through from the reverse side.

I
E
Po